



Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

In Passionem D.N. Iesv Christi Homeliae quinquaginta sex, Theoremata
viginti octo, totidemque sermones. In Monotesseron Praeterea Eivsdem
Passionis Dominicae, iuxta Euangelistarum & historiae fidem, Elucidatio.
Conciones ad Haec Paraeneticae in praecipuis anni & Sanctorum
festiuitatibus habitae

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXVIII

Lachrymæ deuotionis & compassionis vti excitandæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47113)

Sudor sanguineus vnde.

Mortis Christi amaritudo quanta.

Psal. 21.

Orandum esse attentè & feruenter.

Martyribus quomodo fuerit delectabile mori.

Matth. 26.
Marc. 4.
Lucæ 22.
Ioan. 18.

timorem illum & trepidationem sensualitatis humanam vicit, vnde totus sanguis Christi exhilaratus commouebatur, quasi paratus effluere ex vi impellentis amoris, atque de corde Christi in totum corpus redundantis. Itaque pro desiderio humana salutis, pro feruore & excessu nimie charitatis, Christus sudauit sanguinem. Hoc enim desiderium, puta redemptionis nostræ, tanto aestuabat in ipso vehementius, quo erat morti Christus vicinior. O quam amara, quam anxiosa fuit mors Christi exhibita, si imaginatio sola naturam eius totam aded concussit atque commouit, vt sanguinem pro sudore emitteret. Inspice itaque tu mitissimi illius cordis præssuram qua angebatur, quando totum corpus sanguinem sudabat. Neque enim corpus sudaret, nisi cordis anxietas sudorem excitaret. Vide igitur quomodo pijsimus Iesus angustia plenus, nusquam inuenit requiem. Nunc enim inter manus, nunc in terram caput reclinat, propter cordis internam pressuram, propterea in Psalmo loquens, dicit: *Factum est cor meum tanquam cera liquecens in medio ventris mei.* Peracto agone, redijt Iesus ad discipulos, &c. dicens: *Dormite, &c.*

Lachryma deuotionis & compassionis vti excitanda.

DOcemur in oratione nostra esse attentè & feruenter. Videmus enim quam attentus fuerit Dominus, vt sanguineum sudaret sudorem. Verum quia nos sanguineum sudorem non emittimus, saltem pro sanguine lacrymas emittamus. Maximè enim Deo placent illæ lachrymæ, quæ pro eius compassione funduntur. Iterum consolamur quolibet hic. Nam quomodo martyres sancti libenter mortui sunt pro Christo, propter eiusdem amorem, licet secundum naturam & sensum carnis nequaquam eos delectabat mori, quando voluissent potius non mori: veruntamen quia seipos totos subiecerant Deo, etiam hanc voluntatem Deo subiciebant. Superabant igitur se, vt hoc quod secundum naturam non erat voluntarium, per Christi amorem sibi redderetur voluntarium. Quamobrem affectus viuendi, aut moriendi timor naturalis, non solum illis non nocuit, sed profuit etiam multum: quippe qui occasio illis erat se vincendi. Nam si secundum sensum carnis delectabile illis fuisset mori, quemadmodum est comedere aut bibere, quid meruissent? Hoc modo te ipsum consolare, si repugnantiam, si grauitatem, aut frigiditatem in Dei seruitio sentis, fac inuitus hanc sentias, & rationalis voluntas ediuerso agat quæ sua sunt, sensualem affectum tepiditatemque & acediam vincens, & se cogens ad exequendam non sui sensus sed Domini voluntatem.

Ad tempus matutinum Passionis Christi.

IESUS INIMICIS SVIS IT OBVIUS.

Articulus VIII.

Tunc ait discipulis suis, dicens: Sufficit. Ecce venit hora vt tradatur filius hominis in manus peccatorum. Surgite, eamus. Ecce qui me tradet, propè est. Adhuc eo loquente, ecce turba multa cum gladijs & fustibus missi à principibus